



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Quid faciendum sit, ubi quis persentiscit alicujus passionis commotiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

*Quid faciendum sit, ; ubi quis persentiscit  
alicujus passionis commotiones.*

**A**nima passione aliqua murmuris, exacerbationis, aliave persimili inquietata tumultum illum sedare conari debet, recurrendo ad Deum, ac renunciando omnibus suis naturalibus affectibus, & postquam cuncta deposuerit ad pedes Dei nostri, materiam suam resumet.

Quod si ad tranquillitatem pristinam se reducere nequeat, sed illi passionum tumultus importunè recurrant, protestabitur, illis se non consensuram, offeret illas Deo tanquam justissimam superbiæ suæ pœnam, atque in illius præsentia hos suos affectus deplorabit, de cætero patienter tolerando hanc aliquid boni faciendi impotentiam, in quam tempestas hæc ipsam induxit.

Quod si murmur aut indignatio est contra aliquem ex Fratribus in particulari, optimum erit pro eo aliquid orare, complures enim experti sunt hoc pleno charitatis remedio post hujusmodi tumultum pristinam se recuperasse tranquillitatem.

*Quid faciendum, ubi quis tædio afficitur vel tristitiâ?*

**U**bi quis tædio vel tristitiâ se opprimi, aut ab alio quopiam moroso affectu omnem applicationem impediende occupari adverterit, meliori uti remedio non poterit, quàm ut postquam semetipsum, quantum quidem potuerit, excitarit, patienter istum statum coram Deo ferat cum omni humilitate ac reyerentia.

De  
oratione